

XVIII 27558
STD 110

D. IOANN. CAROL. CONR. OELRICHS

COMITIS. PALAT. CAESAR. IVRIS. NAT. CIVIL. ET. HIST. IVR. LITT. PROF. ORD. IN. REGIO. ATQVE
ACAD. GYMNASIO. PALAEO-STETIN. REGIIS. BONAR. ART. SOCIETATIB. REGIOM. GYPHISVALD
ET. GOTTINGAE. NEC. NON. DVCALI. HELMSTAD. ITEMQVE. BREMENSI. TEVTONICIS
ET. LATINAЕ. IENENSI. ADSCRIPTI

DISSE^TRAT^IO
HISTORICO - IVRIDICA

DE

S E R V I S

IVRIS. PERITIS. ATQVE. MAGISTRATIBVS
APVD. ROMANOS

TRIGAE

GYMNASIORVM. FLORENTISSIMORVM

HALENSI. GORLICENSI

ET. BERGENSI. PROPE. MAGDEBURGVM

IVBILAEVM. SECUNDVM

A. AE. C. c^lc^lc^lclxv

CELEBRANTIVM

CVM. VOTO

PERPETVI. FLORIS. GLORIAEQVE. PERENNIS

DICATA

— — plus est seruasse repertum,
Quam quae^sisse nouum.

CLAVDIANVS.

PALAEO - STETINI

APVD. GEORG. MATTH. DREVENSTEDT. c^lc^lc^lclxv.

GYMNASIORVM. FLORENTISSIMORVM
HALENSIS. GORLICENSIS
ET. BERGENSIS. PROPE. MAGDEBVRGVM

RECTORIBVS. CELEBERRIMIS

CETERISQUE. DOCTORIBVS. CLARISSIMIS

F A V T O R I B V S

OMNI. QVO. PAR. EST. HONORIS. CVLTV

PROSEQVENDIS

S. D.

D. IO. CAROL. CONR. OELRICHIS

*Quoties VIRI CELEBERRIMI ATQVE CLARISSIMI! nouum inire saeculum, scholam,
gymnasium, aut academiam, animaduerto: toties ad gratias benignissimo
DEO, pro prouida hac ipsis, in humanum genus, cura, soluendas, toto animo
feror. Siquidem nullam maiorem terrarum esse felicitatem, quam stare in iis,
atque perennare publicas verae pietatis, humanitatis et eruditissimae officinas, unica
ecclesiae plantaria, ceu CHEMNITIVS ait, quid? quod omnis reipublicae fulcra, neminem,
nisi plane excors sit, negaturum, mihi persuadeo. Quae quum ita sint VIRI
CELEBERRIMI ATQVE CLARISSIMI! non potui, quin pietatis studio ductus, ob
superatum, hoc anno, litterariorum seminariorum VESTRORVM duplicitis saeculi de-
cursum, in partem pii gaudii VESTRI, e longinquo etiam, venirem, VOBISQUE
leui hoc scripturae genere, ceu publico quodam meae, erga vos, obseruantiae
documento, raram hanc felicitatem ex animo gratularer. Adst D. O. M. VESTRIS,
VESTRORVMQUE post fata VESTRA, in docendi, quae iam ornatis, muneribus,
successorum laboribus, ut noua, per tertium, quod mox incipiet saeculum, in-
crementa capiant VESTRA bouarum mentium sacraria, ex iisque, tamquam ex
equo Troiano, semper prodeant optimi sacrae Christianorum et eruditissimi lit-
terariae reipublicae ciues. Ita valete VIRI HONORATISSIMI! atque in perpetua
nominum VESTRORVM fama, meritorumque gloria, sensim et sine sensu senescite,
meque amore et amicitia VESTRA complecti haud digneumini. Dabam Palaco-
Stetini XVIII. Cal. Quintil. A. AE. C. cI, I₂ccLXV.*

d/2/23 6001



Si QVOD VMQVAM FVIT VILISSLIMVM GENVS HOMINVM,
muneribus tamen graibus atque eruditorum etiam
honorifcentissimo ordini alias propriis perfuncto-
rum, certe est seruorum Romanorum. LAURENT.
PIGNORIVS ¹⁾ enim et TIT. POPMA ²⁾ litteratos ³⁾ inter seruos, referunt
medicos, sexaginta solidis, summo, si eunuchos artifices, excepéris,
(2) seruo-

1) in comment. de seruis, et eorum apud
betere ministeris.

2) in libro de operis seruorum.

3) Ob errorem, a duobus viris littera-
tissimis, 10. CHRIST. MESSERSCHMIDIO in com-
ment. de Spartanorum beterum ΠΑΙΔΑΓΩ-
ΓΙΑ, exstante in Actis societatis lat. lenensis, vol.
V, p. 80. itemque 10. GOTTL. BIEDERMANNO in nota ad finem programmati-
cis v. c. GEORG. ERN. VVALCHII de Romanorum seruis littera-
riis, inserti IPSIIS Actis scholast. tom. I. part.
III, p. 263. communissum, putantibus, 10. GOTTL.
DERLINGII, Diff. de seruis litteratis, resp. FRID.
PET. HOPPIO, Halae a. cloIscc xx habitam,
agere de seruis litterarum, seu scientiarum
notitia instructis, tribus, vt aiunt, verbis,
hic monere haud incommodum erit, sistere
quidem DERLINGIVM seruos litteratos, sed
eiusmodi, qui litteras non in mente atque
animo defixas, sed in fronte gerunt, et in-

ustas quidem, veluti publicos facinoris com-
missi testes: unde apud APULEIVM lib. VIII.
Metamorph. dicuntur frontes litterati. Hinc
tales litterati serui etiam stigmatiae, inscripti,
inusti vocabantur: de quibus conferatur
LVD. COEL. RHODIGINVS in lett. antiqu. lib. VIII.
cap. XXXI, p. 387. Huic nostro monito aliud
hic iungere, forte non abs re fore arbitra-
mur: numirum, nec m. LVCAE GEIGERI progr.
cogitationes quasdam de causis atque effectibus
litteratae seruitatis exhibens, Halae anno
cloIsccxxxiii. 4. idiomate Germanico edi-
tum, huc spectare: quippe quod non litterarii sed philosophici est argumenti: si
quidem auctor ibi docet, turpe et eruditio
homine indignum omnino esse, coeco impe-
tu in verba iurare magistri. Quo, certo
etiam respectu, facit v. c. 10. GOTTL. HEYNE
Diff. de seruitute erudita, pace religiosa, sublata.
Viceb. cloIsccLV.

seruorum pretio, aestimatos,⁴⁾ grammaticos, rhetores, poëtas, philosophos, paedagogos, aliosque, praeter mathematicos, inuisum Romanis atque damnatum hominum genus,⁵⁾ scientiarum et artium magistros et administratos: quid? quod SENECA, completas, Romanis, seruorum bibliothecas fuisse, scribit, id est, varios eos habuisse seruos, ex quibus alius HORATIVM, alius HESIODVM, alius alium memoria teneret auctorem, eumque recitare atque interpretari posset.⁶⁾ At de seruis, iura edocitis publiceque professis, altum cum ibi, tum apud alios, de seruorum Romanorum muneribus prolixo differentes scriptores, est silentium. Nihilo tamen minus constat, lapsa plane sub imperatoribus, ante IVSTINIANVM M. imperatorem, iurisprudentia Romana, eo etiam peruentum fuisse, vt, quam antea MANLII, SCAEVOLAE, SERVII, aliquique summi viri erant professi iurisprudentiam, tunc serui, et qui non multum supra seruos, libertini, publice tractauerint, immo ipsum nonnumquam magistratum gesserint. Sic ASTERIVS,⁷⁾ qui initio saec. V. vixit, Scyti meminit serui, praeter alias scientias, iurisprudentiam quoque callentis et publice docentis, cuius se ipsum recitationibus interfuisse, addit.⁸⁾ Quid? quod exemplum exstat multo famosius BARBARI PHILIPPI, serui, ad summam praetoris dignitatem euecti, atque, vt seruus, eam gerentis: ita enim tradit VLPIANVS:⁹⁾ BARBARIUS PHILIPPVS, cum seruus fugitiuus esset, Romae praeturam petiit, et praetor designatus est: sed nihil ei seruitutem obstisse, ait POMPONIVS, quasi praetor non fuerit. Atquin verum est, praetura cum functum, et tamen videamus, si seruus, quamdiu latuit (in) dignitate praetoria, functus sit, quid dicemus? quae edixit, quae decrevit, nullius fore momenti? an fore, propter vitilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel lege, vel quo alio iure? et verum puto, nihil eorum reprobari, hoc enim humanius est: cum etiam potuit populus Romanus seruo decernere hanc potestatem, sed et, si scisset seruum esse, liberum efficeret.

Quod

4) L.I. §. 5. C. de commun. seruo manuiss. et l. III. C. pr. comm. de legat.

5) L. II. C. de maleficiis, mathematicis et ceteris similib.

6) epist. XXVII.

7) in homilia VII. apud PHOTIVM in biblioth. cod. CCLXXI, col. 1500.

8) Neque, posterioribus temporibus, eiusmodi deest exemplum. Ita hanc in rem exstat documentum comitis RIZZARDO DI

FRATA, seruo ICto libertatem donantis, quem sapientem virum, dominum MARINVM, iurisperitum appellat. Vid. Delle Masoade, Ed. altri Serui secundo l'uso de Longobardi. Ragonamento di GIVSTO FONTANINI, Stefo in una lettera all'illusterrissimo Signor GIROLAMO DE FVSSI. In Venezia, MDC, XCVIII, quod raffissimum elucubratissimumque opusculum, cum translatione Germanica, praemissa hac inscriptione; Des Herrn Eriz - Bischoffs IVSTI

Quod ius multo magis in imperatore obseruandum est. Idem refert SVIDAS,
¹⁰⁾ *cuius hic adicere verba haud abs re erit, tametsi perperam apud*
eum, in iis quidem, quae vidi, exemplaribus, scribatur: Βαρβίος¹¹⁾
Φιλιππίκης. En ipsa verba:

ΒΑΡΒΙΟΣ ΦΙΛΙΠΠΙΚΟΣ. Οὗτος ἐπὶ τῶν τριῶν τυράννων ἡρχε. Θέραψ
 δὲ ἦν τὸν τρόπον οὐδὲ πολακικός. οὐδὲ μέγιστος οὐδὲ τῷ περὶ τὸν Αἰγαίου Σίδος
 καθέιλεκτο, οὐδὲ ταῦτην γε τὴν αρχὴν ἡρχε, τὴν ἐκείνην χάριν. τελέστον τε ἐν τὸν
 τόξῳ σοβαρὸν, οὐδὲ πορφυροῦ τῇ τιμῇ, οὐδὲ ἐν ἀγορᾷ τῇ βαραίων ὑψηλὸν
 διάγοντα, οὐδὲ δικαιοῖται, ὃ δεσπότης αἴρεται ἐλθάν. πρότερον μὲν ἀποδράντα,
 ἐν ἐκείνῳ δ' οὖν τοῦ παιρῆς πομπεύοντα ἀδρον, οὐδὲ πυρδουμένον, οὐδὲ σὺν τῇ αρχῇ
 θρυστόμενον. οὐδὲ προσελθῶν ἡσυχῇ καθόπιν θυματίας λαβόμενος, χαῖρε, εἶπε,
 τὸ ὄνομα προσδεῖς τὸ αρχαῖον τε οὐδὲ δὲλον. οὐδὲ ἐκεῖνος ἐκκλήττεται ραδίως
 τὸν δεσπότην γνωρίσας, οὐδὲ δεῖται σωπᾶν, οὐδὲ εἰς τὰ δικαιά τοιούτα
 καταβαλάν πάμπλεστα, ἔπειτα μέντοι ἐσιτὸν ἐλύσατο. οὐδὲ αὐτὸν Αντώνιος τῇ ιηλίδι
 τῆρε σιγῇ κατεχυθῇ αργυρωάντος. ἔκρινα δὴ οὐδὲ τάντην τῆς τύχης μὴ σιγῇ
 σαγ τὴν παιδίαν.

Quorum latinam etiam addere translationem KVSTERIANAM
 haud ingratum fore arbitramur. En eam:

„BARBIUS PHILIPPICVS. Hic sub triumviris praeturam gessit, et
 „cum esset homo seruili et adulatorio ingenio, in coetum scurrarum,
 „quibus ANTONIVS familiariter vtebatur, allectus fuit; ad cuius etiam
 „arbitrium magistratum ante dictum gessit. Hunc igitur eo tempore
 „fastu elatum, et ob dignitatem purpura indutum, et, in foro Romano,
 „e sublimi loco ius dicentem, herus accedens, agnouit. Qui, cum
 „ante seruus fugitiuus fuisset, tunc temporis magno cum fastu et
 „pompa

X 3

FONTANINI Gedancken von den Magyaden, oder
 Leibeigenen und andern Knechten, nach den
 Gebrauchchen der Longobarden, in einem Schrei-
 ben an den H. HIERONYM. von PVTPI, insertum
 etiam legitur V. C. IO. GEORG. ESTORIS Klei-
 nen Schriften, vol. I. part. II. p. 295 - 419, vbi
 p. 367. conferenda.

9) L. III. D. de offic. praetor.

10) in Lex. graec. ex edit. LVDOLPHI KÜ-
 STERI, tom. I. p. 416.

II) V. C. CHRIST. VVILH. KÜSTNERVS contra
 in Chrestomathia iuris ENNIANA, p. 67. loco
 BARBARIVS PHILIPPVS legerem, inquit, barba-
 ricus PHILIPPVS, quem Barbarius nomen eius
 esse, sive credam, ut potius e barbaro gente et
 loco seruus sit, ut barbarica folia l. XVI. §. 7.
 D. de publican. et belrigal. At, qua ratione,
 hic locus, viri celeberrimi lectionem barba-
 ricus PHILIPPVS illustrare queat, ego quidem
 non capio.

„pompa incedebat, et dignitatis fastigio magnifice se efferebat. Cum
 „igitur tacite ad eum accessisset, ueste a tergo prehensa, salue inquit,
 „pristino et seruili nomine eum compellans. At ille, re subita per-
 „culsus, dominum agnouit, rogatumque, ut taceat, domum secum
 „duxit, magnaque pecuniae summa ei numerata, sic tandem se rede-
 „mit. Et propter reverentiam quidem erga ANTONIVM macula illa
 „seruitutis silentio tecta fuit. Hunc autem fortunae lusum non cen-
 „sui silentio esse praetereundum.

ALIVD adhuc praetoris, de cuius statu dubitatur, proponit exemplum POMPONIVS: *id autem maxime, ait, ¹²⁾ quaeſitum eſt in HOSTILIO MANCINO, ¹³⁾ quem Numantini ſibi deditum non acceperunt: de quo tamen lex poſtea lata eſt, ut eſſet ciuiſ Romanus et praeturam quoque geſſiſſe dicitur.* Porro CLAVDII FELICIS, liberti CLAVDII imp. frater PALLAS, qui ſumma apud imperatorem, cui a rationibus erat, valebat gratia, ſenatus decreto, quaeforis atque praetoris dignitate eſt ornatus, tandem vero a NERONE, quum immensas collegiſſet opes, et longiori vita eius ſpem fruſtraret, euerſus fuit ac trucidatus. ¹⁴⁾ Refert et monumentum eius, quod in via Tiburtina poſitum, aerique inciſum fuit, et ſenatusconsultum, cuius modo facta eſt mentio, PLINIUS, multumque id ridet et indignatur. ¹⁵⁾ Huic ſubiungamus CLEANDRVM, qui ſeruus et baiulus fuerat, ſub COMMODO autem imp. ita dignitate creuerat, ut praetorio praefectus euaderet, omniaque ex arbitrio ageret ſuo, opesque immensas magnifice locaret. ¹⁶⁾ Maximam vero hanc res publica Romana ſenferat labem per auaritiam triumuirorum: inde enim factum, ut ampliſſimus ſenatorum ordo nequifſimis vilifſimisque homuncionibus inquinaretur, qui crucem potius, quam ſenatoriam dignitatem, ſceleribus multis meruerant. Ante foedus triumuirorum, paeclare, ut solebat, monente V. C. IO. GVIL. HOFFMANNO, ¹⁷⁾ ſolus M. ANTONIVS, actorum et commentariorum Caſaris arbiter, multos in hunc ordinem, quaſi ita D. IVLIVS destinasset, auro corruptus, adſcripferat, quos, ludibrii cauſa, Romani vocabant *χαρωντας*, haud ſecus, atque ius noſtrum, libertos

¹²⁾ L. XVII, in fin. D. de legationib. Add. 1, V. §. I in fin. de cap. minut.

¹³⁾ Vid. CICERO in *topicis*, cap. VIII, et III. de *orat.* itemque in *orat. pro CAECINNA.*

¹⁴⁾ JOSEPHYS *antiq. Iud.* XX. §. TACITVS

in *annal.* XI. 29. XII. 53. 54. XIII. 14. XIII. 65. PLINIUS in *hiſt. nat.* X. 60. IULIANVS in *CAE-SAR.* XIPHILINVS in *hiſt. NERONIS.*

¹⁵⁾ Lib. VII. ep. 29. et lib. VIII. ep. 6.

¹⁶⁾ CAPITOLINVS et XIPHILINVS in *hiſt. COMMODI.*

libertos quosdam *orcinos*.¹⁸⁾ Anno vero P. V. C. Icccxv. L. MARCIO CENSORINO, et c. CALVISIO SABINO Coss. quum iterum pecuniae penuria premerentur triumuiri, non modo ex sociis et militibus, sed et ex libertinis, immo seruis, vilissima capita senatui adscribabant.¹⁹⁾ Proludia pessimae huius rei acta iam esse a c. IVLIO CAESARE, recte obseruauit v. c. IO. HENR. SCHVLTZIVS:²⁰⁾ is enim, nondum confecta, quam meditabatur monarchia, tantum iam depressoerat Romanorum nobilissimos, ut tirones gladiatoriros, quos muneri, in filiae memoriam, populo edendo destinauerat, neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, atque etiam per senatores armorum peritos, erudiret, precibus enitens, quod teste SVETONIO²¹⁾ epistolis eius ostenditur, ut disciplinam singulorum fusciperent, ipsique dictata excentibus darent. En populi Romani senatores et equites lanistas! quod nomen *Tuscorum* lingua *carnificem* denotat. Horum conditio semper seruulis, aut libertina fuit. Sed longe apertior est in confessam seruitutem transitus illorum, qui, munere ab eodem CAESARE in foro edito, depugnauerunt, FVRII LEPTINI, stirpe praetoria, et Q. CALPENI, senatoris quandam actorisque causarum: de quibus apud eumdem SVETONIVM²²⁾ legitur. Senatoria sic dignitas non solum perditissimorum hominum eam obtinentium colluie, sed inde quoque, quod hic aequa quam equester ordo, prauis et ingenuo non minus indecoris moribus inficeretur, euilescere omnino debuit. In scenam enim prodire, saltare, gladiatoriibus se immiscere, bestias denique conficere, quae omnia alias infamia sequebatur, nunc senatores et equites nequaquam sibi rebantur indecora, adeo ut triumuiri, dignitatis horum ordinum arbitrii, ceteroquin iniquissimi, necessarium ducerent, ferre legem: μήτε Βουλευτὴν μορομαχέν, i. e. ne quis senator, gladiator esset.²³⁾ Quid ergo mirum, si et ipse summus Romanorum magistratus, vilissimae, hac aetate, fuerit conditionis! Sane ad ea tempora pertinent, quae de BARBARIO PHILIPPO, seruo, praetura functo, paullo ante diximus. Omittimus MAXIMVM quemdam seruum, quaesturam A. V. C. Icccxv ambientem: quum a domino, DIONE²⁴⁾ teste, abductus

17) in *Diss. Historiam triumviratus ad illustrand.* ius Rom. publicum et priuat. exhib. §. XVI. p. 45.

18) PLUTARCHVS in *Bita ANTONII*, p. 922.

19) DIO in *bis. Rom.* lib. XLVIII. p. 379.

20) in *Diss. de serui medici, apud Graecos et Romanos, conditione*, §. XIII.

21) in *Vita IVI. CAES. cap. XXXVI.*

22) *I. c. cap. XXXVIII.*

23) DIO *c. I. lib. XLVIII.*

24) *c. I.*

VIII DE. SERVIS. IVRIS. PERITIS. ATQVE. ETC

Etus sit: licet impune temerarium hunc tulerit ausum. IOSEPHVS qui-
dem SCALIGER,²⁵⁾ DIONIS MAXIMVM eumdem esse putat, qui a SVIDA
BARBIUS PHILIPPICVS nuncupatur.²⁶⁾ Ast nec nomina conspirant, nec
magistratus: immo MAXIMVS quaesturam tantum ambiisse, BARBARIUS
PHILIPPVS autem praetura reapse functus legitur. Et nescio sane, qui
factum sit, ut locum DIONIS de illo expressum non viderint SCALIGER
aliique: ad quem quidem prouocauit IAC. GOTHOFREDVS.²⁷⁾ Sic vero
DIO,²⁸⁾ postquam dixerat, seruos tum etiam in senatum esse allectos,
subiicit: ΜΑΧΙΜΟΝ γοῦν τινα ταμιεύσειν μέχλοντα ἐγνωρισέ τε ὁ δεσπότης
ηγὶ ἀπῆγαγε, ηγὶ τέτο μὲν ὀδεὸς ἐγένετο τολμήσαντι τὴν αρχὴν αἰτήσει.
id est: MAXIMVM itaque quemdam, dum dominus cognovit, quaesturam admini-
straturum esse, eumdem abduxit: et haec quidem fiducia fuit audenti principa-
tum, seu quaesturam petere. Denique, ut apud Romanos, et legibus cau-
tum, et moribus receptum, seruos ciuilibus muneribus fungi haud
debere:²⁹⁾ ita etiam, apud Germanos, homines proptios non minus
inhabiles ad munus iudicis, scabini, et notarii esse, res satis nota est
atque perspecta.³⁰⁾ Nihilo tamen minus hodie haud raro valde
stupidos, viliorisque conditionis ciues in magistratum admissos, atque
sic verum videmus illud πολυθρυλλετον:

*Der ehegestern Kälber führt,
Heute Stadt und Land regiert.*

quod quidem anno ccccxxviii Constantiae accidisse constat.

25) ad EUSEBII chronicon, p. 147.

26) c. l. sub litt. βαρβιος φιλιππος.

27) in Diff. de elec. magistratus inhabilis,
seu incapacis, per errorem, facta, ad l. III. D.
de officio praetor. §. VII.

28) c. l.

29) L. XII. D. de iudic. Aliud vero di-
cendum de ecclesiastico munere, episcopali
nimirum dignitate accepta, ob Nob. CXXIII.
cap. IV. et XVII.

30) Conf. vv. cc. IOACH. POTTGESSER
de statu seruorum. Veteri perinde atque novo,
lib. III. cap. II. §. VIII - XI. p. 598. seqq. et
10. GOTTL. HEINECCIVS in element. sur. Germ.
lib. I. tit. III. §. 68. 74. In Pomerania vero
hominum propriorum status dignitatum
ciuilium omnino est capax, si iis, sciente ac

consentiente, seu tacente domino, admouean-
tur. Vnde hoc casu hominem proprium
ne ad redēctionis quidem pretium teneri,
decidit Pomeranorum oraculum, DAV. ME-
VIVS in tract. Von dem Zustande und Abfor-
derung der Bauersleute, cap. III. n. 128. Ad
quem casum vnice quoque adplicanda mihi
quidem videntur dicta MEVII ibid. n. 10.
de liberatione hominum propriorum in
Pomerania, per munera publica. Miratur
inde, non sine causa, vir ill. AVG. DE BAL-
THASAR in Diff. IV. de orig. statu, condit, ho-
minum proprior. in Pomerania, §. XII. p. 30.
MEVIVM part. I. decif. LXXX. n. 10. eo
casu, quo seruus, tacito consensu domini,
ius ciuitatis adquisinit, requiriē insuper
legitimum praelscriptionis terminum.